

pertinens, de fide erit, quidquid vero ad fidem minime pertinere existimaverit, omnino respuet. Tot proinde erunt fidei symbola, quot capita, imo cum quisque opinionem suam sæpe mutet, erit de fide hodie, quod cras erit falsum. Nihil proinde fixum in tali systemate habetur præter perpetuam inconstantiam et fluctuationem. Nulla alia fidei regula erit præter subjectivam ac privatam uniuscujusque persuasionem, seu potius opinionem vel dubium. Experientia et historia id evidentissime ostendunt (1).

Ad 2. D. Una sit nomine ac negative, Tr. re et positive N. Nisi velis sub unica fide totam omnium contradictionum congeriem comprehendere; ut si quis dicat: *Christus est Deus*, alter vero: *Christus non est Deus*, hæc eadem fides est, ideoque ambo eandem fidem profiteremur et ecclesia nostra una est; et sic dicitur de ceteris omnibus articulis. Quare sæpe provocati protestantes ad communem fidei professionem edendam nunquam adduci potuerunt ad id præstandum; cur vero, nisi quia ex protestantismi fundamento hoc est ipsis impossibile? Si enim fundamentum ac ipsa natura et essentia protestantismi, ut protestantes sæpe professi sunt, consistit in independentia religiosa individuali in materia fidei, clare patet, impossibile omnino esse, ut ipse possit unam habere fidem, imo nec fidem ipsam, cum fides in hoc systemate non pendeat nisi a subjectiva uniuscujusque persuasionem, quæ et individua est, fallax atque inconstans. Ex quo sequitur, non aliam in protestantismo reperiri posse unitatem nisi negativam, quæ scilicet consistit in negatione fidei cujuscumque.

Ad 3. Neg. vindicari etiam hac ratione posse fidei vel ecclesie unitatem, sive tria argumenta a Tittmann adducta seorsim, sive simul sumantur. Non sufficit a) quod ecclesia protestans habeat scriptu-

(1) Cons. *Lettre de M. Laval, ci-devant ministre à Condé-sur-Noireau, à ses anciens coreligionnaires*, Paris 1823; in qua inter cetera invictissime ostendit, protestantes ex suis principiis non posse affirmare aut in quo consistat vera fides, aut quid sint biblia, quia eadem ratione qua primi reformatores et sacrorum librorum numero aliquot expunxerunt, eodem jure et ex eodem principio quisque potest alios et alios expungere, quin argui possit, vel tolli e numero protestantium, cum ita se gerat ex subjectiva persuasionem et juxta libertatem, qua primi reformatores usi sunt, prout reipsa se se gesserunt, ut vidimus, biblici protestantes. Atque hic obiter præveniendum est difficultas, quæ obijci posset, nempe etiam inter catholicos extitisse atque extare non paucos, qui non minus absurda circa religionem ac sacros libros protulerunt, nec tamen istorum aberrationes adscribi posse seu imputari religioni catholice, sic a pari protestantismo imputari non posse privatorum deliramenta. Reponimus enim, ingens esse discrimen inter catholicos et protestantes; illi enim agunt contra propriæ religionis principia, quæ ejusmodi deliramenta proseribit et damnat, resistunt auctoritati, etc., at protestantes agunt ex reformationis principiis, natura et essentia, quæ consistit, ut toties diximus, in libertate examinis quam habet spiritus privatus, cum independentia a quacumque auctoritate, et proinde nemo jus habet istos erroris arguendi, contra accidit in communione catholica, cujus fundamentum est principium auctoritatis ecclesie doctis.

ram sacram pro unico revelationis fonte; alioquin sociniani et methodistæ, unitarii omnes, rationalistæ, etc., qui omnia dogmata rejiciunt, sive Trinitatis, sive Divinitatis Christi, Incarnationis, transmissionis peccati originalis, realis Christi præsentia, etc., constituerent unam ecclesiam, et profiterentur fidei unitatem cum lutheranis et supernaturalistis protestantibus, qui illa se adhuc profiteri contendunt; omnes enim recensiti sectarii habent Scripturam sacram pro unico revelationis fonte. Imo omnes prorsus omnium sæculorum hæretici, qui tot paradoxa effutierunt, servarent fidei et ecclesie unitatem, eo quod omnes Scripturam pariter pro unico revelationis fonte habuerint, quod quam absurdum sit nemo est qui non videat.

Id ipsum dicatur de sempiterna veritatis propagatione, quæ secundo loco recensetur, quid enim sibi vult adversarius illa *sempiterna veritatis propagatione*? Hæc enim vel sunt verba sensu vacua, vel si quem sensum habent, nihil aliud significant nisi sempiternam *confusionis et chaos* propagationem; tot enim pene sunt, ut vidimus, in protestantismo sententia quot capita; alter ex ipsis affirmat quod alter negat, donec desperatione compulsus protestantismus omnes ubique fere rejecerit libros symbolicos, omnemque fidei professionem; et tamen Tittmann loquitur de sempiterna veritatis propagatione, quamvis ignoret penitus, quale sit hujus veritatis objectum.

Sed neque sufficit quod tertio loco posuit, quod scilicet *continuum ecclesie christianæ progressum* admittat, cum non alius progressus in protestantismo sit, nisi de errore in errorem. Adeo enim protestantismus hodiernus differt a protestantismo primitivo, ut, excepto principio fundamentali nuper memorato de independentia individuali, toto cælo ab illo differat; cum omnes abjecerit veritates, quas primi protestantes cum ecclesia catholica adhuc retinuerant; ad quam defectionem cohonestandam recentiores excogitarunt principium *perfectibilitatis*, id est, destructionis.

Dixi præterea illam unitatem tria hæc a Tittmann recensita etiam simul sumpta non constituere, cum nulla secta sit cui accommodari non possint; simoniani, nicolaitæ etc., potuissent pariter sibi ejusmodi unitatem vindicare, etsi jamdiu evanuerint, prout evanesceat protestantismus, non obstante sua *sempiterna veritatis propagatione et continuo progressu*.

Inst. Satis saltem erit implicite credere ea omnia, quæ Christus docuit, seu ut loquitur Otto (1), juxta mentem sui Fundatoris; ergo.

(1) In opere *Der Katholik und der Protestant*, in quo ea refricat, quæ ante ipsum alii dixerunt, atque inter ceteros Baronissa de Stael, in suis *Considérations sur les principaux événements de la révolution française*, tom. III, p. 15; ubi scribit: « Il n'est aucune question ni de morale, ni de politique, dans laquelle il faille admettre ce qu'on appelle autorité. La conscience des hommes est en eux une révélation perpétuelle, et leur raison un fait inaltérable. Ce qui fait l'essence de la religion chrétienne, c'est l'accord de nos sentiments intimes avec les paroles de

Resp. Neg. Necesse enim est credere ea, quæ Christus docuit per ecclesie magisterium, id Fundator religionis christianæ voluit, id non semel patefecit, ut ex adductis testimoniis patet. Alioquin inutilis plane fuisset ejus revelatio, penitus ignoraremur fidei nostræ objectum, religionis veritates jam nullum in nos influxum exercerent, et in perpetua versaremur fluctuatione. Eo magis quod ejusmodi ignorantia voluntaria sit, atque a perduellione et contumacia proveniat.

(a) PROPOSITIO VIII. — *Hæretici et schismatici declarati extra Christi Ecclesiam sunt.*

Hic non loquimur, ut ipsa propositionis enuntiatio indicat, de iis qui in hæresi vel schismate ignorantia invincibili, seu, ut præfertur, bonâ fide versantur. Hos siquidem animâ saltem, seu spiritu ad veram Christi Ecclesiam pertinere, ut infantes omnes ritè baptizatos, nemo est qui dubitet. Neque pariter loquimur de hæreticis aut incredulis vel occultis, vel nondum ab Ecclesia solemnî judicio declaratis. Quamdiu enim isti ab Ecclesia sejuncti aut expulsi non sunt, ad ejus saltem corpus spectant. Propositio igitur est de illis, qui exterius ab Ecclesia divisi sunt; et in separatam ac distinctam ab ipsâ societatem aut cætum coalescunt, et quidem per voluntariam ac culpabilem defectionem.

Hos autem neque ad animam, neque ad corpus, ut aiunt, Ecclesie, sed nullo modo ad Ecclesiam pertinere facile est evincere. Sectarii atque schismatici, sunt veluti totidem rami excisi à magnâ illa arbore, quam Christus plantavit ut cresceret usque ad consummationem sæculi; sunt rivuli à fonte separati, membra à corpore recisa. Utpote perduelles atque in proprio sensu perversæ contra Ecclesie definitiones, ipsos eadem Ecclesia damnavit atque excidit ab unitate. Ecclesia juxta Christi mandatum eos habet velut ethnicos et publicanos, et coherentem ad Pauli aliorumque Apostolorum doctrinam et praxim veluti proprio judicio condemnatos et subversos devitat, nec ullâ ratione communicat, nec sinit in spiritualibus communicare cum eis filios suos. Ergo hæretici atque schismatici voluntarii tam alieni sunt ab animâ Ecclesie, quam alienus et extraneus est error à veritate, et divisio et confusio ab ordine et individua unitate; tam

« Jésus-Christ; et alibi: Le droit d'examiner ce qu'on doit croire est le fondement du protestantisme. Les premiers réformateurs ne l'entendaient pas ainsi. Ils croyaient pouvoir placer les colonnes d'Hercule de l'esprit humain aux termes de leurs propres lumières; mais ils avaient tort d'espérer qu'on se soumettrait à leurs propres décisions, comme infaillibles, eux qui rejetaient toute autorité de ce genre dans la religion catholique. » (*De l'Allemagne, par Mad. de Staël*, IV part., ch. II, in-12, pag. 15.)

(a) Præsentis de vera Religione Tractatus pars ad quam devenimus, nempe Propositiones VIII, IX, X,

sunt alieni à corpore ipsius Ecclesie, ut membrum à corpore abscissum, ut ramus ab arbore avulsus, ut rivulus à fonte divisus, ut rebelles ac refractarii à societate depulsi atque extorres. Hinc sicut nulla est conventio Christi ad Belial, et nulla societas lucis ad tenebras, sic nulla hæreticis et schismaticis pars est cum Christo ejusque regno, seu cum verâ Christi Ecclesia.

Hæc proinde semper fuit et sententia et praxis antiquitatis in revelatione fundata. Christus ipse, ut supra animadvertimus, in Apocalypsi acriter objurgat angelum, seu episcopum Ecclesie Pergami, eò quod pateretur in suâ Ecclesia quosdam tenentes doctrinam Nicolaitarum, et idcirco injungit ipsi pœnitentiam (1). Apostolus Paulus in epistolâ ad Galatas anathema dicit iis, qui docent diversam doctrinam ab illâ quam ipse iis tradiderat. B. Joannes scripsit ad Electam et filios ejus: *Si quis venit ad vos, et hæc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (2). Hinc ab ætate ipsâ apostolicâ Cerinthiani, Ebionitæ, etc., jam segregati erant ab Ecclesia, Ireneo teste (3). Cum idem S. Joannes Cerinthum in

XI et XII, paucis jam abhinc annis in nostro *Theologie Cursu completo* (tom. VI, col. 1215-1268) annuente equidem summa cum benevolentia inclyto Auctore plaudentibusque lectoribus prelo mandata est. Cum vero typis, ut aiunt, *stereotypicis* totum illud ingens opus conditum a nobis servetur, propterea illæ Propositiones, quales loco supra memorato editæ sunt, inde nunc temporis extrahuntur, ut hic ordine suo naturali componantur. Idem postea dicendum erit de diversis cæteris tractatibus quibus nostrum *Theologie Cursum*, prout se ferebat occasio, passim locupletavimus, scilicet:

In tomo VII (col. 891-912), *De dæmonum cum hominibus Commercio*;  
Ibid. (col. 1357-1382), *De Mundo et de Homine*;  
In tomo VIII (col. 769-852), *De Cultu Sanctorum*;  
Ibid. (col. 1484-1498), *De Devotione erga sacrum Cor Jesu*;  
In tomo XXV (col. 9-60), *De Ordine*;  
Ibid. (col. 65-102), *De Cælibatu ecclesiastico*;  
Ibid. (col. 229-336), *De Matrimonio*.

Hos itaque tractatus integros a nobis jam editos ad classem suam primigeniam in decursu e nostris typis revocabimus. M.

(1) C. 2, 15: *Κρατούστας τὴν διδασχὴν τῶν Νικολαϊτῶν.*

(2) 2 Joan. v. 10, 11: *Et τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ ταύτην διδασχὴν οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἶκον, καὶ χαιρετῆτε αὐτὸν, μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτὸν χαιρετῆσαι, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.*

(3) Lib. 5 cont. hæres. c. 28; et apertè affirmat apost. Joannes, qui ep. 1 loquens de hæreticis cap. 2, 18, 19, inquit: *Et nunc antichristi multi facti sunt... ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, etc., etc.* Hieronymus De script. eccl. testatur eundem Apostolum rogatum ab Asiæ episcopis se contulisse ad conscribendum suum evangelium, ut illud opponeret Ce-

balneo invenisset, fugiamus, inquit, ne balneum corruat, in quo Cerinthus est veritatis inimicus (1); sic B. Polycarpus Joannis discipulus, cum ei obviam Romae venisset Marcion dicens: *Agnosce nos*, respondit ei: *Agnosco te primogenitum Satanæ*, ut refert idem Eusebius, qui post hujus facti narrationem è vestigio subdit: « Adeo religiose cavebant Apostoli, eorumque discipuli, ne vel sermone tenens miscerentur cum illo eorum, qui veritatem adulterabant (2). » Origenes deseruit domum cujusdam matronæ à quâ alebatur, maluitque pauper ac sine hospitio esse quam ibi diutius commorari, eò quòd quidam hæreticus ibidem degeret, licet ipsius occursum omni studio effugere contenderet (3). Tertullianus hæreticos omnes interrogabat: *Qui estis, et unde venistis*, etc. (4)? Tum: *Edant ergo* (sic eos perstringebat) *origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus Aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem* (5). Hinc prodierunt hæreticorum catalogi quos exhibuerunt S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Augustinus, aliique ad nostram usque ætatem (6). Ergo hæretici et schismatici quavis ætate tanquam omnino ab Ecclesiâ Christi extranei habitus sunt.

Cujus rei causa obscura non est. Alioquin enim Ecclesia Christi esset commixtio veritatis cum omnibus erroribus atque absurditatibus, quæ ab humana ignorantia ac perversitate excogitari unquam possent, prout reipsa excogitata sunt ab hæreticis sive antiquioribus sive recentioribus (7); si cuilibet impunè fas esset innovare, jam nullum daretur adjumentum ad cognoscendam atque intemeratam servandam verita-

rintho, aliisque hæreticis et maximè tunc Ebionitarum dogmati consurgenti; conf. præterea Tertull. lib. 3 adv. Marcionem c. 8.

(1) Ib. c. 3, et apud Euseb. hist. ec. l. 4, c. 14, verba quæ ab Apostolo Joanne prolata refert S. Irenæus hæc sunt: *Φύγωμεν, μή και τὸ βυλιανέτον συμπίση, ἔνδοθι Κηρίνου τοῦ τῆς Ἀληθείας ἑχθροῦ.*

(2) L. c.: *Τσαυτέτην οἱ Ἀπόστολοι και οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔαρον ἐλλείπειν, πρὸς τὸ μηδὲ μέγρι λόγου κοινωνῆν τετι τῶν παραχρησάντων τὴν Ἀληθείαν.* Hæc quidem Eusebius ex Irenæo, l. 3 adv. Hæc. c. 3 ed. Maur.

(3) Eus. hist. ec. lib. 6, c. 2.

(4) De Præsc. c. 37.

(5) Ib. c. 32.

(6) Conf. hist. hæc. Bernini, ac postea Pet. Paletta S. J. Steria ragionata delle eresie. Verona 1797. Dictionnaire des hérésies par M. l'ab. Pluquet, etsi plures in his operibus desint ex recentioribus sectis nuper exortis.

(7) Verè affirmari potest de hæreticis cujusque ætatis quod de philosophis inquiebat Tullius, nihil esse tam absurdum, quod dictum non fuerit ab aliquo philosophorum; sic nihil est tam absurdum ac impium sive circa fidem, sive circa mores quod dictum non fuerit ab aliquo hæreticorum, et quidem prout observatum est, juxta germana hæresion principia earumque naturam, quæ tota est in substituendo spiritum privatam auctoritati legitimæ. Nos qui brevitate studemus, non nisi pauca exempla dedimus, sed interea, ex paucis quæ adduximus et adducemus, quisque poterit speciem aliquam sibi efformare absurditatem, in quas ducit hæresis natura et principium fundamentale.

tem, quam Christus è cælo detulit atque Ecclesiæ suæ patefacendam gentibus omnibus tradidit, dareturque in Ecclesiâ absoluta confusio ac sententiarum perturbatio, atque in tantâ opinionum varietate et discrepantiâ nulla via pateret ad veritatem cognoscendam, ancipites quique essent circa id quod credendum vel agendum ad salutem obtinendam; vel cuiquam saltem pro lubito fas esset credere vel agere quidquid sibi bonum videretur. Quæ omnia, quàm absurda sint et Christo injuriosa, quisque videt, siquidem actum esset de ipsâ revelatione.

Sequitur autem ex dictis, 1°, ineptè sibi placere Protestantes perinde ac si ad Christi Ecclesiam pertinerent, vel cæteros omnes qui christianum nomen gerunt, eò quòd in Christum se credere profitentur. Necessè enim præterea est, ut pertineant ad unitatem fidei, tum regiminis qualem Christus instituit, et teneant eam doctrinam, quam Christus per Ecclesiam suam homines docuit.

Sequitur 2° ex desperatione inveniendi veritatem et ob insitam ipsorum systemati fluctuationem et perpetuas varietates, Protestantes adductos ad hoc fuisse, ut scilicet proclamarent tolerantismum religiosum universalem omnium sententiarum, opinionum ac paradoxorum, quarumcumque sectarum, quæ eodem innituntur principio independentiæ à quacumque auctoritate, ejusdemque fructus legitimi sunt (1).

Sequitur 3° talem veram esse causam communis illius odii, quo Protestantes, quodcumque gerant nomen, prosequuntur Ecclesiam catholicam, quæ ipsis nunquam cessat objicere verba Christi: *Nescio vos*, neque eos in suâ unitate et communionem consistera permittit.

Sequitur 4° hæreticos et schismaticos se quidem ab Ecclesiâ separasse, vel fuisse per eandem expulsos ab unitate, quin tamen eorum errorès ac perduelliones Ecclesiæ Christi unitatem vel scindere, vel hædere unquam potuerint.

Difficultates.

I. Obj. Si hæretici vel schismatici in Ecclesiâ non essent, nullam in ipsos Ecclesiâ jurisdictionem exercere posset; atqui ex sententiâ Catholicorum Ecclesiâ veram potest in eos exercere jurisdictionem. Ergo.

Resp.: Dist. min.: Si nullo titulo ad Ecclesiam pertinerent, concedo; aliter, nego. Jam verò hæretici et schismatici ratione baptismi subditi ecclesiæ facti sunt,

(1) « Les protestants (inquit Sismondi in *Revue encyclop.* Paris, mars 1826, art. *Opinions religieuses*), n'ont pas toujours bien compris leur propre système, ils n'ont pas toujours senti que l'indépendance des opinions individuelles était l'essence de leurs églises (hæretici enim habent ecclesias, nunquam ecclesiam); ils n'ont pas toujours renoncé à l'unité de croyance, et ils ont paru quelquefois embarrassés de ce qu'on leur reprochait leurs variations et les nombreuses dissidences qu'on trouvait entr'eux. Encore aujourd'hui, une moitié des protestants, persistent dans la même erreur, combat pour l'unité des doctrines, quoique avec bien peu de chances de l'obtenir, puisque chacun cherche cette unité dans un système différent. »

et cum perpetuus atque indelebilis sit character, quem ipsi ex baptismo receperunt, hinc Ecclesia perpetuum atque inalienabile jus habet in ipsos licet perduelles ac refractarios, quamdiu ipsi in vivis sunt, multò magis quàm princeps in subditos suos, licet rebelles ab ipsius auctoritate.

Inst. Est Ecclesia ipsa, quæ hæreticos quandoque atque schismaticos è societate suâ rejicit atque expellit. Ergo.

Resp.: Dist. ant.: Rejicit atque expellit, ut puniat et corrigat, atque è contagionis periculo filios suos innocios servet, concedo; abdicando jus quod in ipsos habet, nego.

II. Obj. — 1° Licet Sadducæi graviter in fide errarent, 2° ac decem tribus schismaticæ essent respectu Ecclesiæ judaicæ, non ideò cessabant pertinere ad veram Ecclesiam; ergo à pari licet hæretici atque schismatici à fide Ecclesiæ catholicæ, ejusque unitate discesserint, ad veram Christi Ecclesiam pertinere non cessant.

Resp. ad primum: Dist.: Quia nullo solemnè judicio fuerunt à synagoga expulsi, ideò pertinebant ad veram Ecclesiæ corpus, transeat; pertinebant ad animam, nego. Erant enim in corpore Ecclesiæ prout nunc sunt tot increduli, qui ad Ecclesiæ corpus pertinent, etsi nullo modo nec illi pertinuerint, nec isti pertineant ad Ecclesiæ animam. Juvat præterea iterùm referre quod de Sadducæis habet Josephus Flavius, quod scilicet ceteri Judæi illis nullum munus publicum concederent, nisi publicè saltem à corporis morte animas superstites esse docerent (1), seu nisi assentirent Pharisæorum sententiæ.

Ad secundum: Dist.: Schismaticæ erant civiliter seu politicè, concedo; religiosè, subdist., perique, concedo; omnes, nego. Plures enim semper fuerunt in decem tribubus, qui mosaica instituta ritè servabant, et statutis temporibus Jerosolymam Deum adorandi causâ ascendebant, nisi per vim ab hujusmodi officio impediabantur (2); qui verò in decem tribubus idololatriam sectabantur, neque ad animam neque ad corpus Ecclesiæ judaicæ pertinebant.

Resp. 2°: Nego conseq. et paritatem, quia Christus apertis verbis alium rerum ordinem induxit in Ecclesiam suam.

III. Obj. 1. Omnes qui in Christum credunt et habent charitatem erga proximum sunt veri Christi discipuli, dicente Domino: *Creditis in Deum, et in me credite* (3); tum: *Qui credit in me, habet vitam æternam* (4); et alibi passim. 2. Ac rursùm: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis*

(1) l. 18, Antiq. c. i, n. 4; en ejus verba: *Ὅποτε γὰρ ἐπ' ἀρχῆς παρέλθοιεν, ἀκούσιως μὲν και ἀνάγκης, προσχωροῦσι δὲ ὅ οἱς ὁ Φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοῦς γενέσθαι τοῖς πλῆθεσι.*

(2) Atque hinc patet quàm insulsè Voltairius in *Quest. sur l'encyclopédie*, art. *prophéties*, dicat plures prophetas fuisse schismaticos.

(3) Joan. 14, 1: *πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, και εἰς ἐμὲ, πιστεύετε.*

(4) Ib. 6, 47: *ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἔχει ζωὴν αἰώνιον.*

ad invicem (1). Ergo quicumque in Christum credunt et proximum diligunt, sunt in verâ Ecclesiâ Christi.

Resp. ad primum, dist. ant.: Omnes qui credunt in Christum, et in ea omnia quæ Christus docuit, et credenda per Ecclesiam proposuit, seu eo modo quo Christus vult, concedo; eo modo quo volunt hæretici, nego. Quandoquidem Christus ipse Apostolis dixit: *Docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis* (2), ergo non partem aliquam, et prout unicuique libet. Ad hoc hæreticos ignorare quid Christus sit: utrum Deus scilicet, an homo tantum, etc.

Ad secundum dist.: An sint veri discipuli, et non solùm fidei professione, sed et operibus bonis quorum præcipuum est charitas, concedo; discipuli simpliciter, nego. Vult enim Christus Dominus discipulos suos cognosci ex bonis operibus, quæ fidem commendent. Sunt enim aliqui de quibus dixit Apostolus, qui *verbis profitentur se nosse Deum, factis autem negant*: quo sensu etiam dicebat apostolus Jacobus: *Ostendam tibi ex operibus fidem meam* (3). Addatur hæreticos nec veram hanc charitatis dilectionem habere, vel habere posse. Etenim sine fide nulla vera datur charitas, quæ commisceri non debet cum liberalitate, dicente Apostolo: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (4).

IV. Obj. Plures interdum in schismate vixerunt, in coque defuncti sunt, quin tamen ab Ecclesiâ Christi extorres habitus fuerint, quin etiam nonnulli in sanctorum album relati: tales fuerunt sancti Meletius et Paulinus Antiocheni episcopi, talis Lucifer Calaritanus, plures ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt. Ergo.

Resp.: Dist. ant.: Plures, etc., bonâ fide, atque in dubio de verò ac legitimo episcopo, vel pontifice, concedo; aliàs, nego. Idem enim dicendum est de schismaticis partialibus, ac de generalibus quando scilicet pontifex est dubius, ut supra notavimus. Meletius porrò et Paulinus viri sancti erant, et uterque communicabat, saltem mediâtè, cum universâ Ecclesiâ. Lucifer Calaritanus vel in unitate Ecclesiæ defunctus non est, neque inter sanctos ab Ecclesiâ universali recensetur, vel saltem cum ante mortem pœnituit, ut aliqui volunt (5). Nulli pariter ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt inter sanctos relati fuere, quin potius Euphemii et Macedonii constantinopolitanorum antistitum nomina è sacris diptycis expuncta sunt eò quòd Acacii nomen in diptycis retinuerint (6).

(1) Ib. 13, 35: *Ἐν τούτοις γινώσκονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταὶ ἐστε ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.*

(2) Matth. ult.: *Διδάσκοντες αὐτοῖς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετείλαμαι ὑμῖν.*

(3) Ad Tit. 1, 16: *Θεὸν ἰσολογούσιν εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνούσινται.*

Jacob. 2, 18: *Δεῖξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου.*

(4) 1. Cor. 13, 3: *Και ἐὰν φωνήσω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου... ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ἀπολύομαι.*

(5) V. Nat. Alex. hist. ec. sec. IV. c. 6, art. 11.

(6) Ibid. sec. V. c. 3, ar. 16, circa finem. Nec non Petr. Ballerini in append. ad § 1, c. 2, op. De rat. primatûs.